Hominem haut commodo dici microcosmum dissertatione publica ad Genes. I. 26 & ex eo Gregorii Nysseni Duas orationes in h.l. ejusdemq[ue] Libr. de opificio hominis C. XVI. ... : in Alma Viadrina expositum / praeside Joh. Christoph. Becmano ... ; à Christiano Godofredo Ludeco ... ; in Acroaterio Majori ad d. xxv. Januar. a. MDCCXVI.

Contributors

Ludecus, Christianus Godofredus.
Becmann, Johan Christoph, 1641-1717.

Publication/Creation

Francofurti ad Viadrum [i.e. Frankfurt an der Oder] : Literis Johannis Christophori Schwartzii, [1716?]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/c95xtane

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

34284/p
42550
41

I. N. D. E. D. N. J. C.

HOMINEM haut commode dici

MICROCOSMUM

DISSERTATIONE PUBLICA

Ad Genes. I. 26. & ex eo GREGORII NYSSENI

Duas Orationes in h. l. Ejusdemq; Libr.

de Opificio Hominis C. XVI.

Divina Favente Gratia

IN ALMA VIADRINA

expositum

PRÆSIDE

JOH. CHRISTOPH. BECMANO,

SS. THEOL. D. & P. P. O. FACULTATISque SUÆ

ac UNIVERSITATIS SENIORE,

à

CHRISTIANO GODOFREDO LUDECO,

Francofurtano Marchico,

IN ACROATERIO MAJORI

A. d. XXV. Januar. A. MDCCXVI.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,

Literis JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHWARTZII.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE



DISSERTATIO
HOMINEM haut commode dici
MICROCOSMUM.

Ad *Genes. I. 26.* &. ex eo GREGORII NYSSENI duas Orationes *in h. l.* Ejusdemq; Libr. *de Opificio Hominis* c. XVI.

CAPUT I.
VARIUS USUS HUJUS Nominis ejusq; Rationum recensio.

I. *INtroductio Generalis.*

II. *Esse fœtum Philosophiæ Ethnicæ; Verba Aristotelis, Galeni, Olympiodori, Solini, Manilii, Chalcidii, Philonis Judæi, Clementis Alexandrini, Gregorii Nazianzeni, Arnobii: Scriptores de hac materia.*

III. *Generalia de Ratione hujus Nomenclaturæ: Serapidis Ægyptii jactantia: Vana Stoicorum Opinio,* Deum esse Animam Mundi, Mundum DEI Corpus; *Et recentiorum,* Mundum esse infinitas Particulas Essentiæ Divinæ.

IV. *Plutarchi ratio, eademque verbis recentiorum quorundam illustrata.*

V. Cœli, Planetarum, *Signorum Zodiaci cum Homine comparatio: Cur*

Sol

Sol Cor Mundi *dictus* ?

VI. Terræ *cum Corpore Humano Analogia; Tertulliani, Pistorii, Athan. Kircheri Explicatio.*

VII. *Homo* Planta Cœlestis *Platoni & aliis;* Planta Inversa *Aristoteli, hujusque gemina Demonstratio.*

IIX. *Vossii Annotatio de* Meteororum *in Homine existentia: Quercetani de iisdem Verba.*

IX. *Temperamentum Gregorii Nazianzeni, Manilii, Julii Firmici in his Parallelismis.*

X. *Richeomi sententia, Hominem* non Mundum Parvum, sed Mundum Magnum *dicendum esse.*

XI. Keckermanni *Ingeniosa Conciliatio.*

I.

Καταβάσει Divinæ, quam *Anthropopathiam* diximus, quave Ter-Optimus Deus, ut Imbecillitati humanæ consuleret, similitudinem Partium & Actionum Humanarum ad se transferri dignatus fuit, proxima est *Similitudo Hominis cum Creaturis*, quam ipsi non tantum cum aliquibus, sed præcipue cum toto Complexu earum, adeoque Universo Mundo intercedere Viri Docti passim annotarunt, introductis eam in rem non illepidis Nominibus *Microcosmi & Macrocosmi, seu Minoris ac Majoris Mundi*, alteriusve ad alterum Analogia: Quibus proinde Nos etiam Symbolum nostrum adjiciemus, expofituri quid hac in materia maxime conveniens esse opinemur.

II.

Initio itaque indicandum est, hanc seu Sententiam, seu Formulam loquendi *fœtum esse Philosophiæ Ethnicæ*, Sacræ Scripturæ prorsus ignotum, pri-

primumque ejus Autorem perhiberi Democritum, notante *Nancelio L. I. c. 1.* Post quem in Scripta aliorum Philosophorum passim transiit: Ita n. Aristoteles *IIX. Phys. c. 2.* ubi de Motu agit: Εἰ δὲ ἐν ζώῳ τοῦτο δυνατὸν γίγνεσθαι, τί κωλύει τὸ αὐτὸ συμβῆναι καθ' ὅλον τὸ πᾶν, εἰ γὰρ ἐν μικρῷ κόσμῳ γίνεται, καὶ ἐν μεγάλῳ. *Quod si id in Animali fieri potest, quid prohibet, ut in universo etiam idem fiat: Nam si in* Parvo fit mundo, *& in* Magno *etiam fiet.* Galenus *L. III. de usu Partium c. 10. Maximum & pulcherrimum eorum quæ sunt est Mundus, quis vero non dicet? Sed etiam Animal* veluti Parvum quendam Mundum esse *ajunt Viri Veteres Naturæ Periti, eandem namque in ambobus invenies Sapientiam Creatoris.* Quos tamen non de Homine in specie, *sed de Animali in genere* loqui in ipsis modo adductis verbis liquido claret. Ast de Homine in specie *Olympiodorus in L. I. Meteor. Aristot.* Ἔστιν ἡ ἡμέρα μικρὸς ἐνιαυτός, ὥσπερ ἄνθρωπος μικρὸς κόσμος. *Dies est Annus Parvus, sicuti Homo Parvus Mundus.* Solinus: *Physici Hominem* Minorem Mundum *esse judicarunt.* Manilius Mundum simpliciter vocat: *Quid mirum noscere* Mundum *si possint Homines, quibus est & Mundus in ipsis Exemplumque DEI quisque est in Imagine Parva-* Chalcidius *Brevem Mundum* eodem sensu dixit *Comm. in Platonis Timæum* f. 291. edit. *Meursii: Est in Corporibus nostris Aquæ portio, & item Aeris, nec non Ignis & Terræ, Unde opinor* Hominem Mundum Brevem *à Veteribus appellatum, nec immerito: Quia* totus Mundus & item Homo totus *ex iisdem sunt Omnibus, Corpore quidem easdem Materias habente, Animam vero unius ejusdemque naturæ.* Nec Judæis ignota fuit hæc loquendi ratio, é quibus *Philo Judeus eodem modo L. de Plantatione Noe:* Ἴδωμεν ὃν τρόπον καὶ τὰ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τῷ βραχεῖ κόσμῳ δέν-

δρα ὁ πάνσοφος ἐδημιούργει θεός. *Videamus, quomodo & in* Homine, Brevi Mundo, *Sapientissimus Opifex DEus Arbores condidit.* E Patribus Primitivæ Ecclesiæ simili loquendi usi fuere *Clemens Alexandrinus* Protrept. seu Admon. ad Gentes. ὅλῳ θεῷ λόγος &c. κόσμον δὲ ὅνδε καὶ δὴ καὶ τὸν σμικρὸν κόσμον τὸν ἄνθρωπον ψυχήντε καὶ σῶμα αὐτῷ ἁγίῳ πνεύματι ἁρμοσάμενος, ψάλλει τῷ θεῷ. *Verbum DEI, cum hunc* Mundum *atque etiam* Parvum Mundum, *nempe hominem ejusque & Animam & Corpus Sancto Spiritu concinnasset, psallit Deo &c.* Gregorius Nazianz. *Or. de Theol. 34.* Sibi multa dicenda esse de memoria, ratione, ira, cupiditate, reliqnisque, quibus ὁ μικρὸς ὅλος διοικεῖται κόσμος ὁ ἄνθρωπος, *quibus* Parvus hic Mundus, *i. Homo gubernatur.* Arnobius L. II. adv. Gentes, *Hic est ille preciosus & rationibus Homo augustissimis præditus* Mundus Minor, *qui dicitur Totius in speciem similitudinis fabricatus atque formatus* Confer. *Elmenhorst. Nott. in h. l. Arnob. f. 48. Vossius de Theol. Gentil. L. III. c. 5.* Indeque ad nostra usque tempora hæc Formula transiit, Virisque Doctis quibusdam occasionem præbuit integros Libros de ea scribendi: Quales *Nicolaus Nancelius* Medicus Gallicus L. *de Analogia Macrocosmi & Microcosmi,* seu ut ipse vocat, *Relatione & Proportione Universi ad Hominem,* quam tamen paucioribus, quam magnitudo Libri promittit, argumentis ostendit, quæque extra ea quæ Libro I. inveniuntur, totis reliquis XII. Libris vix comparent, *Johannes Pistorius* Medicus ex Narbonensi Gallia Nemausensis *in Microcosmo,* seu *Libro Cephale-Anatomico de Proportione utriusque Mundi, Franciscus Tidicæus* Medicus Thorunienſis in *Microcosmo* seu *De-*

scripti-

ſcriptione Hominis & Mundi Parallela, Robertus Fluddus ſeu de Fluctibus *Utriusque Coſmi Majoris & Minoris Metaphyſica, Phyſica atque Technica Hiſtoria, Franc. Mercurius de Helmont* Paradoxis Diſcurſibus de *Macrocosmo & Microcosmo* eorumq; unione, & quotquot fere de Mũdo ejusq; Creatione & Structura Philoſophice ac Theologice ſcripſerunt: Nequid dicamus de *Baſilii Valentini* Microcoſmo magnoq; ita dicto Mundi Myſterio, *Hermophili Philochemici* Cãnonibus de Spiritu, Anima & Corpore Majoris & Minoris Mundi, hisque ſimilibus aliis, quorum cauſam noſtram non facimus, ſed ſibi loqui, ſibi ſapere, totosque ſuo patimur abundare ſenſu.

III.

Rationes hujus Nomen-claturæ pro diverſis de Mundo Conceptibus variæ redduntur; Et Arnobius quidem *Totius in ſpeciem Similitudinis* Hominem fabricatum modo dixit, ſed quodnam illud Totum ſit, non uno modo explicant: Fuerunt n. qui *univerſum Complexum Rerum, DEO etiam comprehenſo* intellexerunt, quomodo Deaſter Ægyptius Serapis de ſe jactavit a Nicocreonte Cypriorum Rege interrogatus: Εἶμι θεὸς τόιος δε μαθεῖν ὁῖον κ' ἐγὼ εἴπω. Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαςὴρ δὲ θάλασσα, Γαῖα δέ μοι πόδες ἐισὶ, ʃα δ' ὄατ' ἐν αἰθέρι κεῖται, ὄμμάτε τηλαυγὲς λαμπρὸς φάος ἠελίοιο. *Sum DEus & talis, qualem deſcribam me ipſe:* Coeli *Arx mi* Caput *eſt*, Ventrem *dico* Mare magnum: Terra, Pedes, Aures *ponuntur in* æthere puro *Longe ſplendentes* Oculos *dic Lampada Solis.* Ita nim. ſe Mundum pariter ac Deum prædicat, totumque illum Complexum Corporum eſſe Corpus ſuum, Seipſum vero Mentem, Animam hujus Corporis credi voluit, affectatione procul dubio eorum, veluti Malignus Spiritus

tus Simia DEI esse solet, quæ *Jes. LXVI. v. 1.* & *Matth. V. v. 34. 35.* leguntur *Cœlum Sedes mea, Terra Scabellum pedum meorum*, etss. Quam deinde opinionem & Stoici tenuere, Deumque Mentem Mundi & Mundum Corpus DEI dixere, consonante etiam *Seneca Nat. Quæst. L. 11. c. XLV.* de Jove suo: *Vis illum vocare* Mundum? *Non falleris, Ipse enim est Totum quod vides, Totus suis partibus inditus & se sustinens vi sua.* Vid. pluribus *Lips. Manud. ad Physiol. Stoc. c. IIX. f. 16. 17.* Quam & & Novatores nostrorum temporũ recoxere, volentes Mundum *Particulas Essentiæ Divinæ*, aut Creaturas *Modos ejusdem in tempore existentes*, vel Hominem etiam *partem Universi & modum Substantiæ Divinæ a DEO & in DEO existentem esse.* Id enim est Deum vere corporeum & non tantum Humano Corpore præditum, sed in mutis Animalibus Animal, in Lapide Lapidem &c, esse, adeoque vera & ex Lacunis Stoicorum hausta *Anthropomorphia*, de qua merito valet quod *Arnobius* advers. Gentes ait. L. I. *Disfimilia copulare, atque in unam speciem cogere indocta Confusione conamini.*

IV.

Alii in Analogia Mundi Aspectabilis acquieverunt, ejusque partes lucidas, opacas, tenues, crassas, ejusdem naturæ Partibus Humani Corporis assimilarunt: Quale est illud *Plutarchi L. de Facie in Orbe Lunæ l. f. 928.* Ἀλλὰ τοῦ κατὰ λόγον κρατοῦντος οἱ μὲν ἀστέρες ὥσπερ ὄμματα φωσφόρα τοῦ προσώπου τοῦ παντὸς ἐιδεδεμένοι περιπολοῦσιν. Ἥλιος δε καρδίας ἔχων δύναμιν ὥσπερ αἷμα καὶ πνεῦμα διαπέμπει καὶ διασκεδάννυσιν ἐξ ἑαυτοῦ θερμότητα καὶ φῶς. Γῆ δε καὶ θαλάσσῃ χρῆται κατὰ φύσιν ὁ Κόσμος ὅσα κοιλία καὶ κύστις ζῶον. Σελήνην δὲ ἡλίου μεταξὺ καὶ γῆς, ὥσπερ καρδίας καὶ κοιλίας ἧπαρ, ἤ τι μαλθακὸν ἄλλο σπλάγχνον ἐγκειμένη τήνδε ἄνωθεν ἀλέαν ἐνταῦθα διαπέμπει καὶ τὰς ἐντεῦθεν

ἀνα

ἀναθυμιάσεις πέψει τινὶ καὶ καθάρσει λεπτύνουσα περὶ ἑαυτὴν ἀναδίδωσιν. *Etenim ratione prævalente, STELLÆ tanquam LUCIFERI OCULI in facie universi insertæ circumferuntur; SOL autem qui CORDIS habet vim ex sese Calores & Lumen tanquam SANGVINEM diffundit, TERRA ET MARI natura utitur, sicut Animal VENTRICULO ET VESICA, LUNA Soli & terræ interposita, sicut IECUR inter COR ET VENTRICULUM, aut aliud molle viscus insitum calorem hac demittit, & que hinc exhalant coquendo purgandoque ad se attollit.* Similia ampliori, angustiori forma apud recentiores passim inveniuntur, e quibus satis erit unicum enotari, quod apud *Heifeldium* legitur *Sphinge Philosophica c. XII. f. 156. 57. 58. Spiritus totius Mundi*, inquit Autor, molem agitat infusus per omnes Artus: *Hominis Spiritus* Hominem agitat omnibus suis partibus, ut plerique totum in toto & totum in qualibet parte locarint: *Sol & Luna* clarissima totius Mundi sunt Lumina, de quibus *Virgilius*: *Vos o clarissima Mundi Lumina*, Labentem quæ cœlo ducitis Annũ: *Oculi extenti Bini, clarissima Lumina*, quæ labentem indies ætatem illustrant profutura nocituraque indicant: Senescente ætate non minus quam Sole Lunaque collabentibus, iisdemque occiduis vi deficiunt sua. *Tellus quodammodo vivit, habetque sua spiramenta*, inæquales Ventorum flatus, tum frigidos, tum calidos, tum putri infestave palude, tum ubere gratoque solo exhalatos: *Sunt Homini Spiramenta*, sunt Anhelitus inæquales item, ut hominis constitutionem præmonstrent. *Terra Vapores emittit sursum*, in pluviam vertit, leniterque remittit: *Stomachi cum Cerebro* idem fœdus est, eo utrinque rupto incomposite elati Vapores pejus ruunt, ut alii terram grandine intempestivisque Imbribus, alii Corpus calculo, mole-

sta

ſta pituita dirisque tumoribus verberent. *Habet Terra Latentia Ocultaque vitia*, quæ in Terræ motus, Hiatus, Ignes deſinunt: *Sunt homini ſua morborum genera*, quæ in hiatus tabo profluente, tremorem ac Ignes deſinere videntur. *Habet ſua Oſſa terra*, Ovid. Magna Pareus Terra eſt, *Lapides in Corpore Terræ Oſſa reor dici*: *Homo* quoque ea habet. Sunt *Terræ Montes*, *Vallesque ſilvis veſtitæ*: *Sic in Homine Barba Comæque in ſilvas abeunt*, *Iuga ſunt Humeriq; Manusque*: *Quod Caput eſt Hominis Terræ eſt in monte cacumen.* Sunt *Terræſuæ partes ſiccisſimæ*: *In Homine aliæ* aliis exiccatiores, Humentiores aliæ. *Terra habet Maria*, ſunt Fluminum Fluxus & refluxus perpetuo Ordine: Eſt *Homini Mare Sangvis* circa Cor in medio Hominis. Spiritus *Domini ferebatur* ſuper Aquas: Spiritus Hominis in Sangvine habitat. *Aquâ irrigantur ſemina* in Terram jacta: Irrigantur, foventur & nutriuntur *Sangvine concepti fœtus.* *Habet Terra Pontusque ſua ocia.* Ovid. Ocia Terra ferax, Ocia Pontus habet, *Habet & Homo*: Non enim quisquam poteſt fine intermisſione agere: Etenim quod caret altera requie durabile non eſt. Hactenus *Heidfeldius.* Prolixiores ejusmodi Parallelismos v. ap. *Piſtorium Microcosm. e. IIX. f. 35.* *Crollium* Tr. de Signaturis f. 52. *de Signaturis Correſpondentiæ Majoris & Minoris Mundi.* *Joh. Rudolph. Camerarium* Memorabil. Medicinæ *Cent. 1. §. 86. & ſeqq.* E quibus unum iſtud non illepidum hoc loco tantum ſtabit §. 87. *Hominem eſſe Participium omnis generis*, ſed ad Animalia tantum translatum: Hominem namque Animalium omnium Vires, perfectiones & Temperamenta in ſe continere, eſſeque medii generis, a quo omnia depen-

dependent, ad quod omnia referuntur & expenduntur. *Sic multos in Humano genere reperies, qui* Struthio-Cameli Ventriculo, *alios qui* Corde Leonis, *plures qui* Canis, *quamplurimos qui* Suis, *infinitos qui* Asini *natura gaudent.* Sed hujus res fides esto penes Autorem.

V.

Extiterunt deinde, qui non tantum in toto Mundo aspectabili, sed in quibusdã ejus Partibus majoribus quoque ejusmodi *Anthropologiam* adumbrare conati fuere: Qualẽ in *Stellis* descripsit *Antonius Mizaldus Monlucianus de Harmonia Cœlestium Corporum & Humanorum*: Eiq; similia sunt, in quibus B. Parens meus *Christianus Becmanus Tr. de Usu Logicæ* ludere amavit: Quæ cum non contemnenda forte diligentia pro notitia Corporis Humani illorũ temporum conscripta sint, & ab *Alstedio* eo nomine commendata inveniantur *Encyclop. L. XIII. P. VI. C. VI. Reg. I. f. 179.* ipsismet verbis ejus huc transcribere non dubitavimus. Cuncta duobus capitibus constant, altero de Planetis, altero de Signis Zodiaci: De prioribus talia sunt: *Sed & Sol non iniqve cum Corde humano comparatur, sicut antiquitus & Sol Cor Mundi vocatus est. Etenim Sol præstantissimum est siderum, Galeno honoratissimum, Euripidi Lampas DEI, Julio Firmico Sol Optimus maximus, Ita & Cor primarium Hominis membrum est; Ut Sol inter septem Planetas (iterum ex Galeno) locum, qui Virtutis est, medium obtinet; Ita Cor hominis in medio Thoracis sinu situm est, qui locus ad firmitatem aptissimus, ut ait Galenus: Ut Sol lucem & calorem toti huic Mundo impertit, adeoq; verbis Claudii Ptolemæi est πηγὴ τῆς ζωϊκῆς δυνάμεως, i. fons Vitalis potentiæ, Ita Cor Spiritum & Calorem nativum toti corpori benigne distribuit, & ut Aristoteles ait, pri-*

mo vivit ac ultimo moritur. Plutarchus dicto loco: Sol vi præditus Cordis, ut hoc Sangvinem & Spiritum, sic diffundit ex se vegetantem calorem & lucem. Nunc ad Lunam: *Cui respondet humida Cerebri medulla. Utque Solis æstum attemperat Luna humida & frigida, Sic Cordis fervorem a Cerebri frigiditate modificari oportet. Genitalia membra repræsentat* Venus, *Lucretio L. I. Hominum divumq; voluptas. Lingvã* Mercurius *ille vagus & varius, Utque hic Nuncius Deorum atque alatus, ita Lingva humanarum cogitationum interpres est Et apud Homerum crebro πτερόεντα ἔπη, alata verba. Epar simile est* Jovi, *Stellæ benignæ: Mercurius Trismegistas in suo ἰατρομαθηματικῷ Jovem nominat αἱματόποιον Sangvificum. Fel est Mars, qvi ut iracundus, ita a Felle incendium iræconsurgit. Lien, humoris melancholici receptaculum, est* Saturnus *frigidus ac maleficus.* Planetas *etiam ulterius videamus:* Mars, *Philosophis Græcis, Latinis & Arabibus nubem rutilam, flavam aut luteam in aere pingit,* Saturnus *Lividam, plumbeam & subnigram,* Jupiter *purpuream, rubram aut roseam.* Venus *pallidulam, albicantem & argenteam: Ita flava bilis luteum colorem & flavum efficit, ut in ictero apparet; quem Auriginem etiam ab aureo colore nuncupant. Atra bilis lividum, plumbeum ac subnigrum: Quod testantur anthraces, icterus niger. Sangvis purpureum ac roseum: Quod arguunt phlegmonæ, exanthemata & alia. Denique Pituita naturalis insipida & aqvea pallidum & albicantem parit colorem, qvalis cernitur in Leuco-phlegmaticis, hydropicis & ædemate.*

Seqvuntur Signa Zodiaci, de qvibus ita. *Etiam Signa duodecim huc faciunt, quæ in tres classes tributa vel ad Caput, vel Thoracem, vel Inferiorem hominis Ventrem pertinent. In Capite Visum, utpote igneæ naturæ, exprimit*

Aries

Aries Signum plane igneum, Olfactum, terreæ naturæ, Taurus, Auditum pure aëreum Gemini, Gustum aqueæ utcumque naturæ Cancer: In Thorace Cor semper æstuans Hippocrati & Galeno exprimit Leo, Diaphragma ob robur & densitatem non nihil terream Virgo, Arterias scilicet aereas Libra, Pulmonem, tanquam pituitosum, molliculum & aqveum, Scorpio. In Ventre Inferiori Jecur calidum notat Sagittarius, Lienem terreum ac feculentum Capricornus: Ventriculum nempe aereum h. calidum & humidum, Aqvarius, Ultimo Intestina affatim humida Pisces.

VI.

Alii in sola Terra quoque hujusmodi Anthropologiam inveniri posse crediderunt, qvale istud est, quod Tertullianus occasione Carnis Christi contra Marcionem scribit *de Carne Christi c. Ipsum certe Corpus hoc nostrum quod de limo figulatum est, etiam ad fabulas Nationum veritas transmisit, utrumque originis elementa confitetur. Carne Terram, Sangvine Aqvam, licet alia sit facies qvalitatis, hoc est, quod ex alio aliud fit. Cæterum quid est Sangvis, quam* rubens humor, *quid* Caro quam terra, *conversi in figuras suas. Considera singulas Qualitates,* Musculos *ut* Glebas, Ossa *ut* Saxa *etiam circum* Papillas Calculos *qvosdam. Aspice* Nervorum *tenues Connexuras ut traduces* Radicum, *&* Venarum *ramosos discursus, ut ambages* Rivorum; *Et* Lanugines, ut Muscos, & Comam *ut* Cespitem *& ipsos Metallorum* in abdito thesauros, ut Medullā Carnis. Quibus similia, quæ prolixiori ambitu verborum, non tamen ex sua, sed aliorum sententia recenset *Pistorius Microcosm. C. I.* f. 11. 12. *Terram nempe in solidioribus gravioribusque Corporis Partibus collocari, v. g. in Ossibus, Aquam in Humoribus, Aerem* in *Aere*, quem quotidie spiramus, *Ignem in Spiritibus*; qui ad instar Igneæ

Subſtantiæ nunquam putrescunt: *Maria* in *Hepatis* ſubſtantia conſtitui, in quam *Venæ velut Fluvii* per Canales duos inſignes, *Venam* ſcilicet *Portæ & Cavam* deſinunt: *Piſces* referre *Lumbricos*, quos plerique viderint Subſtantiam Hepatis transfigere, E *Meteoris Nivem* eſſe in *Pituita vitrea*, quam plerique hominum, Senum præcipue inſtar Lanæ expuunt: *Pluviam* denotare *Catharros*, Coryzas & fluxiones quaslibet: *Grandinem Sputa iſta parvula* ſeſe conglobantia & Lapideſcentia fere; *Tonitru* referri, dum *Flatus* e reliquiis alimenti, tq. e Nube, & ex Alvo tq. ex Media Aeris Regione emiſſi crepant: *Fulmen* eſſe in *Effulgurationibns Oculorum*, dum ira excandeſcunt, vel noctu ſplendent Oculi: *Cometas* referre *Tubercula*, quibus & Ebrii & lue Venerea infecti ſcatent. *Stellas* eſſe *in Oculis* conſpicuas: *Viam Lacteam* in *Vola Manus*: *Silvas* in *Pilis*, *Feras* in *pediculis*, in hiſce degentes, ſicut Feræ in ſilvis. Eodemq; faciet *Kircheri* demonſtratio: *Montium compagem Terræ Oſſaturæ loco eſſe; Quia enim innumeris diverſarum rerum ſpeciebus, uti Mineralibus, Pulveribus, Metallis, Fluoribus, Cineribus fœta eſt, illa conſiſtere non poſſent, niſi firma Structura intra intimas concavitates Montium compage, veluti dolia circis continerentur, Mund. Subt. P.1.L.11.C. 8.f.67.* Prorſus congrue ad Ovidii illud 1. Metam. *Magna Parens terra eſt, Lapides in Corpore Terræ Oſſa reor dici.* Eosdēquoq; veluti Mamas quasdā eſſe in Geocoſmo protuberantes, & tanquam naturæ quædam penuaria & reconditoria, tum ad liquorem perpetuo ſuppeditandum, tum ad ſubjectas Montium Regionumque convalles, benefici liquoris undiquaque diffuſi munere alendas fœcundandasq; ab eodem annotatum *ib. f. 68.* C. XIX. toto agit de interiori Geocosmi conſtitutione, Officinis & Ana-

Analogia ad Humani Corporis membra eoque inprimis Vasa Corporis Humani & receptacula Aquarum in Terra comparat. *Quemadmodum in Microcosmo nonnullæ Officinæ seu receptacula, ut Cerebrum, Hepar, Vesica, humore exuberant, quædam vitalis Ignis calore æstuant ut Cor; aliquæ aëreo Spiramine turgent, uti Pulmones, quædam uti Renes, Lien, feculenta materia opplentur; pari pacto in Geocosmo a provida natura humoris Aquarumque receptacula apte constituta sunt, quæ cum sine calore conservari non possent, adnexa sunt alia Ignis promptuaria, quibus Aquarum fœtura quadantenus animaretur; Quia vero nec Ignium Vulcaniæ Officinæ sine aëre consistere poterant, sapiens naturæ Opifex ineffabili providentiæ suæ dispositione alia in utrorumqve fomentum Aërea disposuit receptacula, quæ occulto meatuum commercio Ignem ne extingveretur, Aqvam vero ne putresceret aut conglaciaretur, ad perennis motus continuationem conservarent. Quoniam vero frustranea foret hujusmodi elementarium receptaculorum distributio, nisi esset in quod agerent, hinc alia constituta sunt terrestria omnigena seminalium rationum miscella imbuta naturæ penuaria, in quæ abdita quadam negotiatione Aquarum, Igniumque officinæ continuo agentes innumerabilem rerum foeturam educerent.*

VII.

Sed & Hominem *Plantam Cælestem* autore Platone videmus a Plutarcho vocari *L. de Exilio f. 600.* Ὀγὰρ ἄνθρωπος (ἤ φησιν ὁ πλάτων) φυτὸν ἢ ἔγγειον ἢδὲ ἀκίνητον, ἀλλ' ἠρανιόν ἐστιν ὥσπερ ἐκ ῥίζης τὸ σῶμα τῆς κεφαλῆς ὀρθὸν ἱστώσης, πρὸς τὸν ἠρανὸν ἀνεστραμμένον. *Quippe homo, si Platoni credimus,* Planta est *non Terræ infixa aut immobilis,* sed Cœlestis, *cujus tanquam de radice caput sursum erectum in Cælum dirigitur. Philo Judæus L. quod deterius potiori insidiari solet f. 170.* Μόνον δὴ ζῶν ἐπὶ γῆς φυτὸν ἠρά-

ἐρέανιον ὁ θεὸς ἐιργάσατο. *Solum in terris* Cœleſtem Plantam *fecit hominem: Cæterorum in Terra defixit Capita, omnes enim humi Caput habent, Soli homini Sublime dedit, ut alimenta cœlitus incorruptibilia quærat, non terrena iſta corruptioni obnoxia. Quapropter Corporis noſtri partem inſenſatiſſimam, longe a ratione ſecretam, Pedes ceu Radices ad terram applicuit, ſenſus autem Mentis ſatellites ad hanc ipſam, longiſſime a terra juſſit habitare & ad ætheris cœlique nunquam interituros alligavit ambitus.* At magis proprie fortasſis Ariſtoteles *Plantam Inverſam* dixit, non eo tantum ſenſu, quia Os ejus, qvo alimenta aſſumuntur ſuperius, & Radices quibus Plantæ ſuccum attrahunt in imo earum collocatæ ſunt: Nam Plantæ etiam ſuperioribus ſui partibus ac ramis æque ſuccum ex aere, licet tenuius attrahunt, pariter ac Radices e Terra; Sed alia & ut opinamur nobiliori ratione. Plantæ enim quodcunque habent, quo nutrimenta ſua attrahunt, id extrinſecum ipſis eſt; At inteſtina quæ Homini & Animalibus loco Radicum ſunt, quæque alimenta toti Corpori ſuppeditant, intra Corpus Humanum condita, adeoque Planta vere eſt *Inverſus Homo*, vel *Homo Inverſa Planta*, h. Cujus Interiores partes Plantarum Externæ ſunt, & Internæ in his Hominis Externæ. Sic enim Succum Vitalem, qui in Homine ex Corde, intima ejus parte per Corpus diſtribuitur, Planta per Corticem diſtribuit, nunquam victura ſi Cortex ejus aliqua tantum parte circum circa intercidatur, Partium Internarum e contrario magis ſecura, fine quibus conſiſtere poſſe exemplo excavaturum Arborum tota die videmus. Planta igitur Inverſus Homo, & hic Inverſa Planta eſt, non tantum 1. quia radicibus in terram defigitur, quæ

ipſi

ipsi loco Oris sunt, cum Os Hominis in suprema ejus parte constitutum sit; sed & 2. quia quod Homini internum, id ipsi externum est, cum quod ipsi loco Cordis est, non in Interiori ejus parte, ut apud Homines & Animalia, sed in externo Cortice situm sit.

IIX.

De *Meteororum* similitudine *Vossius* annotat, *Fulgura* referre Hominum excandescentium *Oculos coruscantes*, Tonitru Ructus, & Intestinorum murmura, quæ Græci βορβορυγὰς & βορβορυγμὸς appellant; Pluviam, humores è Cerebro in nares, laryngem, pulmones destillantes: Rorem lachrymas, Ventos, cruditatum exhalationes, Auriumque sibila ac tinnitus: Terræmotum, palpitationem Cordis, membrorumque convulsionem: Ad Ventos etiam referri Flatus Ventris, ad Tonitrua Strepitus ejusdem. *Theol. Gentil. L. III c. V.* A quo & prope abest celebris superiorum temporum Medicus Josephus Quercetanus *Tetrade Capitis affectuum c. V.* quo demonstrare conatur *legitimam Membrorum Anatomiam ex luce Naturæ Majoris Mundi* esse petendam, similesque plurimorum *Morborum fomites atque mineras ex vitalibus variarum Exhalationum tincturis ceu fontibus scaturire.* Cuncta exscribere harum Paginarum angustia haut patitur, Pauca tamen huc præcipue facientia adduci non abs re fuerit: Esse nim. ait in Solidioribus & fixis Humani Corporis Partibus æque ac in Mundo Majori "aliqua *Impetuosa* & huc & illuc *Fluctuantia*, alia *Hu-* "*mectantia*, *alia Effluentia*. *Impetuosa* contenta esse "Spiritus nostros tam *Naturales*, *Vitales* & *Animales* " qui purissimi, sincerissimi, & maxime omnium æ- "therei sunt) quam *Impuros* & *malignam quandam qua-* "*lita-*

"*litatem præ se ferentes.* Humectantia deinde esse "*Humores nostros naturales,* tam utiles quam inutiles "& excrementitios. Effluentia vero seu exhalantia "contenta, *Halitus tum siccos, tum humidos,* hos *Vapores* "dici, illos *Fumos:* Fumidam illam exhalationem, "quum sit ab arido *Fumus* expressus, calidam, siccam, "levem & subtilem semper in altum ferri sulphu-"reæ & igneæ naturæ propinquam. Conrra *Vapo-"rem* aut fluxum Humidum, cum naturæ sit raræ, "*Mercurialis & aqueæ*, si ab externa caliditate, frigi-"da sua qualitate spoliatus in aêrem efferatur, & "ibi frigore concrescat, pristinam suam naturam "recipere cogi, ita ut in Aquæ naturam con-"vertatur & redeat. Jamque ut in majori mundo "videre est, ejusmodi *Vapores & exhalationes* Solis ca-"lore & astrorum influxu, nec non propria & interna "caliditate excitatos, materiam tam diversis ac stu-"pendis Meteoris ac Corporibus imperfecte mixtis "sufficere, tum in Aerea regione, tum in ipsis ter-"ræ penetrabilibus, præsertim ex *Vaporibus Mercuri-"alibus*, frigidis, humidis & naturæ aqueæ, Nubes & "Pluvias, Grandines, Nives, Gelu, Ventos generari. "At ex Sulphureis & calidis siccis coruscationes, to-"nitrua, presteres, fulmina, & id genus alia arden-"tia meteora effingi. Sic *in Minore Mundo*, hoc est "Humano Corpore *similes & itidem Vapores ac exhala-"tiones* materiam multis & diversis meteoris effor-"mandis suppeditare: Unde *tot ac tam varia Morborum "genera* eaque stupenda, *modo Mercurialia, frigida "& humida: modo sulphurea,* calida & sicca, non for-"ma quidem & accidente, sed substantia, hoc est, "virtute essentiali talia, *tum in inferiore ventre, tum "superiore (hoc est in capite & cerebro) partibus utique terræ*

"*pene-*

"*terræ penetralibus & aëris regioni* correspondentibus, prorumpere palam eſt: Quæ omnia poſtea ſpecialibus argumentis plenius exponit, quæ adduci inſtituti noſtri non eſt, cum hoc loco ſufficiat indicaſſe Analogiæ illi Mundi & Corporis Humani hactenus traditæ hunc quoq; Virum egregium lucem aliquam afferre conatum fuiſſe.

XI.

Chriſtiani Patres tamen temperamentum aliquod adhibuere, & uſitatam Formulam quidem retinuerunt, ſed non Homini ſimpliciter, verum Corpori tantum applicatam, Nobiliorem v. ejus partem, ſeu quod præcipuum in Homine, & per quod id eſt, quod eſt. DEO vindicarunt. Sic n. *Gregorius Nazianzenus Or.* 11. *in Paſch. f.* 680. *Nondum ex utroque temperatura erat, aut Contrariorum mixtio, quæ ſublimioris ſapientiæ & circa naturarum Creationem Varietatis & excellentiæ ſpecimen exhiberet, nec omnis Bonitatis divitiæ notæ atque ſpectatæ erant: Hoc igitur cum* Artifex Verbum *extendere voluiſſet,* Animal unum ex utroqve, h. ex inviſibili ac viſibili Natura Humana *fabricatur,* καὶ παρὰ μὲν τῆς ὕλης λαβὼν τὸ σῶμα ἤδη προὐπορασάσης παρ᾽ ἑαυτῷ δὲ ζωὴν ἐνθεὶς (ὃ δὴ νοερὰν ψυχὴν καὶ εἰκόνα θεοῦ ὀνόμασεν ὁ λόγος) οἷόν τινα κόσμον ἕτερον ἐν μικρῷ μέγαν ἐπὶ τῆς γῆς ἵστησιν. *Atque a materia quidem jam ante producta ſumpto Corpore, a ſe autem inſito ſpiraculo, quod quidem Intellectualem Animam, Deique Imaginem Scriptura vocat, velut* alterum qvendam Mundum, in Parvo Magnum, *in terra collocat, Angelum alium, mixtum adoratorem, viſibilis naturæ ſpectatorem, Intellectualis myſten, eorum qvæ in terra ſunt Regem, ſuperis autem ſubditum, terrenum & cæleſtem, caducum & immortalem, viſibilem & intelligibilem, medium inter magnitudinem & humilitatem, eundem Spiritum & Carnem, Spiritum propter*

gratiam, Carnem ob elationem: Illud ut maneat eumque, cujus beneficiis ornatus est, concelebret: Hoc ut vexetur ac vexationibus admoneatur, & de magnitudine sibi placens erudiatur & coërceatur, Animal hic varie gubernatum, atque alio demigrans, & quod mysterii extremum est, Animi ad Deum nutu & propensione Divinitatem consequens. Qvorum summa est, Hominem Corpore suo Mundi partes corporeas, Anima vero Deum Autorem Mundi referre, seu brevius, *Corpore gerere imaginem Mundi, Anima Imaginem DEI*, adeoque invisibilia pariter ac visibilia complecti. Quo sensu & Manilii verba §. III. citata accipi posse autumamus, hic plenius recensenda.

An dubium est habitare DEUM sub pectore nostro?
In cœlumque redire animas cœloque venire?
Utque sit ex omni constructus Corpore Mundus,
Aëris atque ignis summi, terræque marisque;
Spiritus & toto rapido quæ jussa gubernans
Sic esse in nobis terrenæ corpora sortis,
Sangvineasque animas animo, qui cuncta gubernat,
Dispensatque hominem? quid mirum, noscere Mundum
Si possent homines, quibus est & Mundus in ipsis
Exemplumque DEI *quisque est in* Imagine parva.

Non quod Mundi nomine DEum intellexerit, vel Mundum crediderit esse DEUM, quod *Doctiss. Vassio.* visum fuit, sed quod hominem Corpore Mundum aspectabilem, Deum autem Conditorem Mundi mente referre, seu ut Manilii verba fuere, Exemplum seu Imaginem DEI quemque in corpore, Imagine nimirum illa parva Mundi, gerere crediderit. Neque aliter intelligimus *Julii Firmici* verba a Vossio citata: *Nam ita Corpus Hominis, ut Mundi ex quatuor elementorum commistione composuit, ut omnium istorum conjunctio temperata*, Animal ad formam divinæ imita-

tio-

tionis *ornaret, & ita hominem artificio* divinæ fabricationis *expoſuit*, *ut in* parvo corpore omnium elementorum vim *atque ſubſtantiam*, *natura cogente*, *conferret*, ut divino illi Spiritui, *qui ad ſuſtentationem Mortalis Corporis ex cœleſti mente deſcendit licet fragile*, ſimile tamen Mundo *pararet hoſpitium : Hac ex cauſa Hominem, quaſi* Minorem quendam Mundum *Stellæ vel Sol etiam & Luna ignita ac ſempiterna agitatione circumſtant, ut Animal, quod ad* imitationem Mundi *factum eſt, ſimili Divinitatis Subſtantia gubernetur.*

X.

Senſit vim hujus explicationis Vir non contemnendæ diligentiæ *Ludovicus Richeomus*, qui circa finẽ Seculi penultimi vixit, ideoque Analogiam aliquam Mundi ac Hominis quidem retinuit, Contrariã tamen viam ingreſſus abjecto *Microcoſmi* Nomine *Hominem potius Macrocoſmum* dicendum eſſe autumavit. Nam 1. Parvum Mundum quidem dici, ſed ob Corporis exiguam quantitatem, at magnitudinem non ex Corpore adeo, quam perfectione æſtimandam eſſe; DEUM enim Mundo infinities Majorem & tamen ſine Corpore eſſe. Cum itaque Homo nobiliſſima pars Univerſi ſit, ſolusque inter creaturas corporeas DEI imaginem, quæ vera Magnitudo & perfectio, in Corpore vero Imaginem Animæ geſtet, jam Magnum Mundum & Animæ & Corporis ratione dicendum eſſe. Præterea 2. majus illud ſemper dici, quod alia in ſe comprehendat : Hominem vero omnes Creaturarum perfectiones ſubſtantia ſua continere, τὸ eſſe, quale inanimatorum, Vegetationem inſtar Plantarum, Senſus, qvales Animalium, Rationem ad modum Angelorum, habereque proinde uno complexu omnia

ſimul, quæ aliæ Creaturæ ſeorſim habent, eoque cæteris omnibus majorem exiſtere; Indeque & juxta *Gregor M.* Creaturam καθ' ἐξοχὴν dici: *Prædicate Evangelium omni Creaturæ, Marc. XVI. 15.* h. Homini tq. creaturas omnes complectenti. *Sunt namque Lapides, ſed non vivunt, Arbuſta etiam ſunt & vivunt, ſed non ſentiunt, Bruta autem animalia ſunt, vivunt, ſentiunt, ſed non diſcernunt. Omnis autem Creaturæ aliquid habet homo. Habet namque commune eſſe cum lapidibus, vivere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni Creatura homo, juxta aliquid omnis Creatura eſt homo. Omni ergo Creaturæ prædicatur Evangelium, cum ſoli homiui prædicatur, quia ille videlicet docetur, propter qvem in terra cuncta creata ſunt, & a quo omnia per quandam ſimilitudinem alienа non ſunt.* Gregor M. *Homil. in Evang. XXIX. f. 92.* Et ut Richeomus jam concludit: *Id eſt donc le Grand & non le petit monde, puis qu'il ſerre dedans ſoy toutes les parties du monde.* 3. Addit Intellectum Humanum omnium Ideas comprehendere: *Il eſt un Magazin vivant & immortel de toutes les natures, ayant en ſoy leurs perfections empraintes:* Loqviq; & cogitare proinde de Leone, Aqvis, Lapidibus, adeo ut ſi nulli etiam Leones aut Lapides amplius exiſterent, Idea tamen eorum in Homine remanſura eſſet, eoſque cum alias caduci ſint, perpetuitate donaret: Quin & ipſum Majorem Mundum cogitando, memorando continere. Qvam *naturale eſt in immenſum mentem ſuam extendere. Magna & generoſa res eſt Humanus Animus, nullos ſibi poni niſi communes & cum DEO terminos patitur.* Sen. Ep. CII. Sed & ſingulas ejus partes, qvantæcunque ſint virtute Intellectus ſuperare. *Cogita qvanta nobis tribuerit parens noſter, qvanto valentiora animalia ſub jugum miſeri-*

mus

mus, qvanto velociora consequamur, quam nihil sit mortate, non sub ictu nostro positum. Tot virtutes accepimus, tot artes, animum denique, cui nihil non eodem quo intendit momento pervium est, sideribus velociorem, quorum post multa secula futuros cursus antecedit, tantum denique frugum, tantum Opum, tantum rerum aliarum super alias acervatarum. Circumeas licet cuncta, & quia nihil totum invenies, quod esse te malles, ex omnibus singula excerpas, qvæ tibi dari velles. Sen. de Benef. II. 29. Ipsoque proinde Mundo isthoc Majori etiam Majorem esse, cum continens contento necessario majus, disponens disposito superius sit. Et si verba ejus aliquot adhuc allegare licet, *C'est donc un grand Monde, que l' homme en son ame pouvant mettre tout le Monde en son entendement, l' enserrer en sa memoire & s' estendre par sa volontè en toutes ses parties, & s' y attacher finalement comme il se peut servir de la vertu de toutes les choses insensibles, aussi peut-il faire sienne l' industrie de tous les animaux, & luy donner un bien meilleur tiltre l' amplifier de telle maniere & dexterité, que la glosse vaille mieux que que le texte.* 4. Denique ait DEUM O. M. Hominem tantopere æstimasse, ut Filium suum Naturæ Humanæ uniri voluerit, quo nihil majus cogitari posit: Hominemque vel sola hac de causa Mundo Minori Majorem dici mereri, quipe in societatem Divinitatis assumptum, eoque omni Creatura aspectabili potiorem. *Voila les richesses de l' homme, voila la bontè & liberalité du Createur, qui pour auctoriser encor quelque remarquable signe d' amour la beauté de ceste sienne facture, l' a souvent honoree, se faisant paroistre, & ses Anges sous la figure humaine tant en la loy de nature, qu' en la loy de Moyse & a la fin a voulu, que son cher & unique Fils mariast d' un lien eternel a sa grandeur ceste nostre nature, qu'*

il

il s' en revestit & se fit homme, & qu' en une personne fut jointe la beauté d' un grand Dieu & la beauté d' un grand Monde, & qu' en ce Monde il reparast le Monde & s' assist à la dextre de sa Majeste & au grand-jour jugeast en ce monde, le Monde Universel, tant il a voulu embellir & honorer nostre ame & nostre Corps. Hactenus *Richeomus* Libello, quem vocat. *l' Adieu de l' Ame, Devis 64. 65. 66. f. 140. & seqq.*

XI.

Aliam adhuc viam ingressus Doctissimus suorum temporum Philosophus *Barthol. Keckermannus*, & utrumque locum habere, Hominemque diverso respectu *& Macrocosmum & Microcosmum, Mundum Minorem & Mundum Majorem* dici posse ingeniose commentus fuit *Epist. ad Tidicæum L.* ejus *de Microcosmo* præmissa: *Est omnino ita*, scribit, *miro quodam & arcano nexu junguntur Homo* & Mundus: Homo DEI Imago est, & Mundus Hominis. *Homo Parvus Mundus est*, sed Mundus non est Magnus homo. *Nimirum propter Hominem Mundus, non Homo propter hunc. Itaque* perfectius quid Homo *quam Mundus; Et idem tamen* etiam imperfectior: *Perfectior, qvatenus Mundi finis ac complimentum: imperfectior, qvatenus ejusdem pars; Sane si non tam molem qvam pretium spectes,* Mundus PARVUS HOMO, & HOMO MAGNUS MUNDUS *appellabitur: Nam quæ in Mundo sunt, ea omnia in se Homo habet perfectius. In Homine Cœlum Cœlo pernicius; Sol Sole splendidior, ignis igne actuosior, Aer Aere subtilior; aqua aqua humectior; terra terrâ aridior; In Homine imber imbre rigantior; Ros rore fœcundior; aura aura penetrantior; olenm oleo lenius, crystallum crystallo clarius, gemma gemma pretiosior; metallum metallo ductilius: In Homine planta planta vernantior; omne animal omni animali præstan-*

tius

tius. Nec naturalium saltem Idea Homo, sed & artificialium: *Nullam facile machinam nominaveris; nulla fabrorum aut textorum, aut quorumvis opificum instrumenta, Opus etiam artis nullum, quod non factum* ad exemplar Hominis, *aut cujus similitudo non extet in aliqva partium Humani Corporis: Iterum dico; mirus & arcanus nexus Hominis cum Mundo*, Homo Mundi pars est, & hæc pars totum ipsum in *se continet, toto ipso perfectior*, Homo Parvus Mundus est, & Mundi Epitome; Sed istud Parvum & hæc Epitome sine exemplo sunt. *Nam & Parvo isto magnum ipsum continetur; & in Epitome illa sive compendio omnia reperias, quæ in Majori Opere, imo & plura & Majora. Multa hic secreta, partim ad naturæ scientiam, & ad universam Philosophiam, partim ad Medicinam, & ad omnem praxin humanæ vitæ; Nec se unquam recte noverit Homo, qui ista ignorat.*

CAP. II.

EXCESSUS OPINIONUM DE HAC ANALOGIA.

I. PAracelsi, Weigelii, Crollii *Opinio, Hominem vere ac realiter alterum Mundum esse.*

II. Plures *Microcosmi* a Paracelso inducti. Fluddi *Microcosmus Internus.*

III. Mundus Ultra-Mundanus, Angelicus, Cœlestis, Elementalis, Humanus, *Horumque ad Hominem facta Applicatio.*

I.

SEd qvicqvid horum secundum similitudinem passim dictum invenitur, id alii longe amplius extendendum esse crediderunt, nec Analogiam tantum Hominis ac Mundi agnoscere amarunt, sed quod Homo reipsa & secundum speciem, etsi

etsi invisibiliter, omnia & singula in se complectatur, quæcunque visibili forma in triplici illo Regno, Vegetabili, Animali, Minerali, totiusque Mundi Amphitheatro explicata continentur, eaque de causa Microcosmum dici rati sunt. Sic enim *Paracelsus de Origine Morborum invisibil. L. 4.* In Homine sunt Astrorum motus, natura terræ, aquæ, aëris, omnia vegetabilia, omnia mineralia, omnes constellationes, qvatuor Venti. *Idem de Lunaticis Tractat. I. C. I.* In Limbo sunt Cœlum & Terra & omnium animalium proprietates. *Weigelius in Gnothi c. 4.* Dieser Erden Kloß/ das ist die große Welt/ ist gantz gebracht zusammen in einem Menschen: Dann alles was im Himmel und Erden ist/ daßelbige ist auch im Menschen/ ja der Mensch ist die Welt selber/ darumb Er auch μικρόκοσμος geheißen wird. *Crollius præf. Admonit f. 14.* Conveniunt non forma externa, aut Corporali substantia, sed in omnibus viribus & virtutibus: Pro ut Magnus Mundus est, ita quoque Parvus: In essentia & interna forma *plane unum & idem sunt: Forma saltim externa discernit Mundum & Hominem.* Et *f. 33.* Homo Consummatissimum Mundi Exemplar *vere est omnis Creatura, quia est omnis Mundus.* Quæ & *Tabulis Correspondentiæ*, quas ita vocat, *Mundi Majoris ac Minoris* illustrare contendit *de Signatur f. 52. 53.* quanquam non multum diversis ab iis, quæ *præc. c. I. §. IV. & VI.* de Mundi Aspectabilis & Terræ cum Homine Analogia adducta fuere, additque *f. 54. Nihil est in Mundo, cujus proprietas non etiam in Homine Microcosmo reperiatur; Deus enim Gloriosus non creavit aliquam Creaturam sapientiorem ac nobiliorem Homine, quia omnium Animalium mos ac Primum Esse in ipso reperitur*, ac cum sit omnium Creaturarum Fasciculus

culus *seipsum ipse* in omnis Carnis Faciem, in omnis Creaturæ *Ingenium, instar Poëtici alicujus Protei effingit, fabricat & transformat.* Et paulo post: *Manet iste Homo* Parvus Mundus idem & unum *per omnia cum suo Parente*, qui est Mundus Magnus: *Verum sicut* Magnus Mundus Testa sua *distingvitur ab* Angelico Mundo, *ita Homo Minor Mundus* Cute sua *distinctus est à Magno Mundo.* Cujusmodi aliis quoque verbis Hyperbolicis passim utitur.

II.

Sed nec in una *Hominis ac Mundi* ταυτότητι acquievit *Paracelsus*, sed alterum etiam *Microcosmum* induxit, non tantum Hominem in genere talem esse ratus, sed sexum Fœmineum inspecie hoc Elogium mereri *L. de Caduco s. Suffocatione Matricis §. 2. f. 11.* Das Kind in Matrice lebt im Firmament Matricis, das ausserhalb in dem äusern Firmament: Also ist Matrix Mundus Minor, und hat in ihr alle Arth der Himmel und Erden. Dieweil nun Matrix das Wasser ist / so ist Sie auch allem Donner und Erd-beben unterworfen / allen Winden und Ungewitter / scheidet sich allein in dem / daß da zwei *Microcosmi* seind / *Matrix* und der Mensch ist auch eine kleine Welt / darumb so ist in ihm alle Elementalische Würckung / die Welt und der Mensch. Et clarius *L. IV. de Orig. Morbor. Matricis* f. 68. Der Mensch hat die Haut über sich / die ist der Mensch / daß sie scheide die zwo Welt von einander / die grosse und die kleine / das ist die Welt und der Mensch / und daß zwei wiederwärtige Dinge nicht zusammen in eine Welt fallen. Also bleibet die Welt in ihrem Gehäuse gantz und unzerbrochen / und niemand ist in sel-

bigem Hause/ der sie irre oder zerbreche: Also bleibet auch der Mensch in seinem Hause/ das ist in seiner Haut/ lässt nichts hinein/ und gehet auch nichts aus seinem Hause/ sondern er bleibet an seiner Stat/ und ist also ein Mensch seiner Haut. Nun folget auf das/ daß der Mensch das nicht allein ist/ noch die Welt allein/ sondern es ist noch eine Welt/ und ist die Kleineste/ und ist die Matrix, dieselbe ist auch eine/ und ist mit einem Faß gebunden; daß ist sie hat ihre sonder Gefäß/ Haut und Gebein/ daß sie für sich selbst auch stehet/ und ist gescheid von der kleinen Welt. Also der Mann ist die kleine Welt/ die Frau hat im selbigen ein Gebresten und ist die Kleineste Welt: Et mox: Die Mutter ist ein Ding/ so nicht anders ist als eine beschlossene Welt/ die sonsten nicht Gemeinschaft hat mit dem andern/ und ist doch dieselbige: Denn die Welt ist und war die erste Creatur/ der Mensch war die Ander/ die Frau die dritte: Also ist die Welt die Gröste/ der Mann die Näheste/ die Frau die Kleineste. ꝛc. Fingitur præterea & *Microcosmus* quidam *Internus*, quem *Fluddus* describit Partis II. Tr. I. Sect. I. Libro III. toto, & omnes *Mundi* Idealis partes in se habere dicit, vocatque *Occultum, Invisibilem & Immortalem Hominis Portionem ex Invisibilibus Invisibilium Macrocosmi Cælorum partibus conflatum, quibus non modo naturales suas functiones, sed etiam circa Contemplationes Divinas virtute Portionum Super-Cælestium versari solet;* Ac rursus ex Materia Invisibili & forma purissima ac Spiritualissima conflatum scribit *c. II. f. 67.* Immo ne hisce quidem contentus Paracelsus eandem similitudinem quibusvis Creaturis aliis quoque in-

impertit, ex iisq; tot Microcosmos fabricat, quot species Rerum sunt. Sic n. L. de Modo pharmacandi Tr. 2. *Quoties Homo in manu Bolum cibi habet, toties in ea Cœlum & Terram tenet in eodem bolo: Quoniam in ipso latent omnes Partes Hominis & in eo creata omnia Sphæræ Globorumque perfecta sua habent Corpora. Sic in manu comedentis est Cœlum & Terra:* Quæ Germanice ita sonant f. 775. Himmel und Erden ist ein Mensch und nicht mehr/ hat auch weder weniger noch mehr. Darumb so ofte ein Biß der Speise/ also oft Himmel und Erden in der Hand/ das ist in selbigem Bissen: Dann in ihm liegen alle Partes des Menschen/ und in Ihm haben alle Creata der Sphær und der Globen sein volkommen Leib: Und also ist der Leib der Himmel und Erde in der Hand des Essenden. Mirum in tanta voracitate Cœli ac Terræ Homini ilia non dudum rupta fuisse.

III.

Alii uno saltim Mundo non contenti Mundos tres, quatuor, plures commenti sunt, Mundum *Ultra-Mundanum seu Angelicum & Intellectualem, Cœlestem, Elementalem, Humanum* & in eo *Invisibilem* quendam, prout id Hypothesibus suis inservire crediderunt: Mundum *Ultra-mundanum*, interprete Ingeniosissimo suorum temporum Viro *Joh. Pico Mirandulæ Comite præfat in Heptaplum* suum, Supremum omnium esse, eundemque a Theologis *Angelicum*, a Philosophis *Intellectualem* dictum a nemine satis pro dignitate describi posse: Proximum ei *Cœlestem*, postremum omnium *Sublunarem* seu *Elementalem*, hunc quem nos incolimus; Hunc *Tenebrarum Mundum*, illum *Lucis*, *Cœlum* ex Luce & Tenebris temperari. Hunc *Gen. I. v.* 1. 2. per *Aquas* notari, fluxam instabilemque substantiam, il-

lum per Ignem *Lucis* candore & loci ſublimitate, *Cœlum* Naturæ mediæ eſſe, idcirco ab Hebræis *Eſchamajim* quaſi *ex Eſch & Majim* ex Igne & Aqua compoſitum nuncupari: In *Sublunari* vitæ ac mortis viciſſitudinem, *in Ultra-mundano* vitam perpetuam & ſtabilem Operationem, in *Cœlo* vitæ Operationum, locorumque viciſſitudinem: *Hunc* ex caduca Corporum ſubſtantia, *illum* ex Divinæ mentis natura, *Cœlum* ex Corpore, ſed incorrupto & ex mente ſed mancipata Corpori conſtitui: Moveri *tertium* a *ſecundo*, *ſecundum a primo* regi: *Illum* Bruta & Homines incolere, in *Cœleſti* Planetas coruscare, *Supercœleſtem* eſſe habitacula Angelorum. Subjicit deinde, *tres hoſce mundos* unum eſſe, non ſolum propterea, quod ab uno Principio & ad eundem finem omnes referantur, aut quoniam debitis numeris temperari & Harmonica quadam Naturæ cognatione atque ordinaria graduum ſerie colligentur; Sed quoniam quicquid in omnibus ſimul eſt Mundis, id in ſingulis contineatur, neq; eſſe aliquem unum ex iis, in quo non omnia ſint, quæ ſunt in ſingulis, ita tamen, ut quæ in Mundo Inferiori ſunt, in Superioribus itidem ſint, ſed meliori nota, & quæ in Superioribus ſunt, in poſtremis etiam viſantur, ſed degenere conditione & adulterata quaſi natura. Extare vero præter tres illos, *Quartum alium Mundum*, in quo ea omnia inveniantur, quæ ſunt in reliquis, huncq; eſſe *Hominem*, qui & propterea in Evangelio *Omnis Creaturæ* appellatione cenſeatur. Inde toto *Heptaplo* de ſingulis ſeorſim agit, *de Mundo Elementari* L. I. *De Mundo Cœleſti* L. II. *De Mundo Angelico* & *Inviſibili* L. III. *De Mundo Humano* ſ. de Natura Hominis L. IV. De *omnibus* deinde *Mundis* diviſim L. V. De *Mundorum*

inter

inter se & Rerum omnium Cognatione. L. VI. Ac denique *de Felicitate, & Vita æterna* L. VII. Cunctisq; expositioni Capitis I. Genes. Operique Creationis sex dierum se lucem affundere profitetur, quæ verbo attigisse hoc loco satis erit.

CAPUT III.

VERÆ SENTENTIÆ EXPLICATIO.

I. PHilosophis Gentilibus *nihil certi de Creatione Hominis vel Mundi constitisse, adeoque nec satis digne de Natura Hominis loqui potuisse; Alios justo altius in ejus Explicatione evolasse.*

II. *Hominem dici* Microcosmum *nihil singulare, sed Homini cum Mutis Animalibus commune esse: Veteres etiam de Animali in genere, non de Homine in specie id accepisse.*

III. *Hominem dici* Animal Rationale *esse fœtum Philosophiæ Ethnicæ, S. Scripturæ ignotum.*

IV. *Varii lusus in* Mundi & Microcosmi *Nominibus, illaque Homini applicandi difficultas.*

V. Hominem referre DEI Imaginem *Prædicatum Homine dignum & S. Scripturæ conveniens esse.*

VI. *Philosophemata* de Natura Generis *in Logicis, ejusque ad Naturam Hominis Applicatio:* Animali *similitudinem intercedere cum Corpore Humano, non cum Homine.*

VII. Imaginis Divinæ, Intellectus, Rationis *Explicatio: Hominem eodem intuitu dici* Templum Spiritus S.

IIX. Mundum DEI Imaginem, Magnum Hominem, Patrem Hominis, Animatum *vane dici.*

IX. Porismata Practica *ex his præmissis elicita.*

X. *Conclusio.*

I.

VIdimus hactenus varia Philosophemata de decantata illa *Macrocosmi & Microcosmi Analogia*, eaque Troporum flosculis passim exornata; Sed *partim ex lacunis Gentilium* hausta, quibus cum nihil certi de Origine Mundi vel Creatione Hominis constiterit, Cortices quosdam Rerum tantum attigerunt & cum ulterius progredi non possent, instar Vulpeculæ Æsopicæ Vas vitreum lambere tentarunt, sed pultem contentam degustandi locum nullum invenerunt: *Partim fiduciæ vasti Ingenii* eorum inter Christianos orta, qui cum superiora corrigere vellent, in adversum rapti ultra id quod scriptum est sapere voluerunt, & altius evolantes, quam vires Ingenii Humani ferrent, in hyperbolica verba plurima eruperunt, sed in nubes sine Aqua desinentia, vel certe telis Aranearum similia opere subtilibus, sed usu nullis: Restatque proinde, ut missis hujusmodi speculationibus θεοπρεπῶς, h. Deo digno modo de insigni hac materia philosophemur, solo Verbo ipsius contenti ejusque Sapientia fisi, cum constet de Creatione & Hominis & Mundi neminem testari posse, quam ipsum Deum; Et quidem *procul omni sublimitate sermonis* I. Cor. II. 1. media inter excessum ac defectum via juxta Regulam ejusdem Apostoli *Rom. XII. 3. Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad Sobrietatem.*

II.

Evicturi itaque Titulum, quem Dissertationi huic inscripsimus, *Hominem haut commode dici Microcosmum*, dicimus id nec Hominis, nec Mundi Naturæ satis congruere, ejusque Parastaten in primo membro producimus *Gregorium Nyssenum*, Patrem judicio

dicio Svidæ disertissimum omnique Doctrina exuberantem, in admirando, eodem Judice, Opere de Creatione Hominis, seu ut vulgo inscribitur *de Hominis Opificio* c. XVI. quo postquam varia de Statu ac præstantia Hominis edisseruerat & ad Divinam vocem, *Faciamus Hominem ad Imaginem nostram*, se redituru receperat: *Quam exilia, inquit, & indigna magnitudine Hominis Exteri quidam sibi imaginati sunt conditionem Humanæ Naturæ, se eximie eam prædicare rati, si cum Mundi hujus machina conferrent:* Ως μικρὰ τε καὶ ἀνάξια τῆς τοῦ ἀνθρώπου μεγαλοφυίας τῶν ἔξωθέν τινες ἐφαντάσθησαν τῇ πρὸς τὸν κόσμον τοῦτον συγκρίσει μεγαλύνοντες, ὡς ὤοντο, τὸ ἀνθρώπινον. Τῶν ἔξωθέν τινες quos dicit, sunt Philosophi Ethnici, revera οἱ ἔξω, quia extra Ecclesiam positi, adeoque & Verbi DEI ignari. Et hos dicit sibi imaginatos fuisse, ἐφαντάσθησαν, seu vana specie se aliosve delusisse, sicut φάντασμα sæpe de eo dicitur, cujus vana species nobis obversatur. Quodnam v. est hoc φάντασμα? *Ajunt enim*, pergit Pater, *Hominem* Parvum Mundum *esse, qui ex Elementis iisdem, quibus Rerum Universitas, compositus esset*: Φασὶ γὰρ μικρὸν εἶναι κόσμον τὸν Ἄνθρωπον ἐκ τῶν αὐτῶν τῷ παντὶ στοιχείων συνεστηκότα. Subjicitque mox rationem improbandi: *Dum enim ostentatione ejusmodi Nominis laudem Humanæ Naturæ tribuere voluerunt, sui ipsorum obliti* non aliis quam Culicis aut Muris attributis *ipsi reverentiam conciliarunt*: οἱ γὰρ τῷ κώνωπι τοῦ ὀνόματος τοιοῦτον ἔπαινον τῇ ἀνθρωπίνῃ χαριζόμενοι φύσει λελήθασιν ἑαυτοὺς τοῖς περὶ τὸν κώνωπα καὶ τὸν μῦν ὀνόμασι σεμνοποιοῦντες τὸν ἄνθρωπον. Summa est, Prædicatũ illud *Microcosmi* nihil singulare continere, aut ad dignitatem Hominis aliquid facere, sed ipsi cum omnibus Animalibus commune, adeoque Homine indignum esse, quippe *Culices & Mures*, quos nominat Gregorius,

us, immo majora quoq; Animalia ipsosq; Boves & Asinos socios habituro. Veteres Philosophos quoq; de Animali in genere, non de Homine in specie, locutos fuisse in verbis illorum *præc. C. I. §. II.* adductis palam liquet; Ac licet Galeni verba ex Libris ejus *de Usu Partium Corporis Humani* desumpta sint, non tamen ideo in specie, quod *Tidicæus* vult, de Homine, sed de Animali in genere accipienda esse, antecedentia & consequentia eorum ostendunt: De aliis etiam Animalibus passim loqui, non tantum ex *primis duobus Capitibus Libri I. sed totis L. IV. V. & seqq. patet.*

III.

Videbitur quidem obstare passim recepta *Definitio Hominis*: Nam si etiam *Microcosmi* appellatio ad universa Animalia extendatur, non eo minus tamen ad Hominem quoque pertinebit, quia *Homo est Animal Rationale.* Sed R. I. Perstare tamen Patris Instantiam, nihil singulare hoc Prædicato contineri, aut aliquid ex eo in honorem & laudem Hominis cedere. II. Ipsam hanc Definitionem quoque esse ἕυρημα Philosophiæ Ethnicæ meliorum ignaræ, sed Dignitati Hominis prorsus adversam, ob maximam ejus & Animalium dissimilitudinem, qua multo longius ab universis, quam illa inter se distant. *Eundum post vestigia Gregum nostrorum, id est post Brutorum vestigia, quæ sunt in Nobis, quo quid miserius, quid despicatius & contemptibilius,* inquit *Picus Mirandulanus Heptapli L. IV. Prooem.* Nec sufficit dici, Hominem Animans quidem esse, *sed eximium Animans,* nam non eo minus Animans erit, Gradus non variant speciem: Animalia Majora, Elephas, Leo itidem eximia sunt Animalia, Vermibus, Insectis longe nobiliora, manent tamen Animalia; At Hominem multo longius

se distant, id demum prærogativam ipsi tribuit, qua ultra sortem omnium Animalium evehitur. 2. Definitio hæc quoque S. Scripturæ ignota est, quæ Homines quidem conditionis suæ immemores in Brutorum sortem compingit: *Homo nihil intelligens comparatus est Jumentis insipientibus & similis factus est illis. Ps. XLIX. 21* Sed de ipsa natura Hominis, longe magnificentius loquitur: *Faciamus Hominem ad Imaginem Nostram. Gen. I. 26.* de quo mox pluribus. Opinio illa certe de Homine Animali apud Gentiles quosdã effecit, ut totum Genus Humanum non alio in loco quam quævis alia Animalia habuerint, primitusque natos vitam inconditam & belluinam egisse ac sparsim ad pastum exiisse crediderint, τὰς ἐξ ἀρχῆς γεννηθέντας τῶν ἀνθρώπων ἐν ἀτάκτῳ καὶ θηριώδει βίῳ καθεστῶτας σποράδην ἐπὶ τὰν νόμας ἐξιέναι, ut *Diodorus Siculus* scribit *L. I. f. 5.* Econtrario communi Experientia constat, Hominem naturali judicio donatum & præconceptis opinionibus vacuum non facile admissurum se Animal dici, at Creaturam Intelligentem siquis dixerit statim acquieturum. Quod siquis ad instinctum quendam naturalem referat, quo Homo sine prævia informatione ad sensum Naturæ suæ feratur, & inter ea collocet, quibus sibi conciliatur ad se ac statum suum conservandum & quæ sibi contraria sunt pellenda, non repugnabimus. In Opinione vulgi utique ratio ejus quæri non potest; Hominem n. tq. Ens Intellectualè concipi ac deteriori in loco haberi nolle non Opinio vulgi, sed veritas est Dignitati Hominis conveniens.

IV.

Deinde & *Mundi* Nomen tot ambagibus impeditum est,

ut incertum ſit, quis tandem & qualis ille Mundus ſit, cujus Homo *Microcoſmus* eſſe debeat. Nam *Deum ipſum Mundum* eſſe, quod Gentiles aliqui, & hodierni quidam ἄσοφοι voluere, contra Naturam Dei eſt, qui cum ſit infinitus, nihil eorum eſſe poteſt, quæ videntur, ſed cunctis hisce aliquid eſt ſublimius. *Partem Mundi* quoque exiſtere Majeſtate Summæque perfectioni ejus adverſatur; Omnis pars n. reſpectu Totius ſui eſt quid incompletum; Cumque ſit Cauſa Efficiens & Conſervans Rerum omnium, jam non magis Mundi Pars dici poteſt, quam Navarchus Pars Navis, quam gubernat. *Conf. præc. c. I. §. 3. Ultra Mundanum* aliquem, *Angelicum, Inviſibilem* Mundum dici eſt repugnantia in materia, & merus luſus in verbis; Quomodo n. Mundus eſt, ſi *Ultra Mundum*, h. ultra ſe ipſum ſit? *Humanum Mundum* ſiquis dixerit, Hominem *ſui ipſius Microcoſmum* dicet. *Mundus Idealis* non eſt Mundus, ſed Idea Mundi, Conceptus de Mundo, quem qui alit, ſi ideo Microcoſmus eſt, quæſo quid erit, ſi Ideam Bovis, aut Equi conceperit? *Mundus Cœleſtis & Elementaris ſeu Sublunaris*, quia Corporei ſunt, verum quidem Mundum conſtituunt, ſed unum in individuo, non duos ſub una ſpecie comprehenſos, quales ne fingi quidem poſſunt: Nam ſi centies centena millia Corpora adhuc a DEO crearentur, Novum tamen Mundum haut conſtituerent, ſed ad complexum Corporum jam creatorum acceſſura & partes hujus Mundi futura eſſent. Sed & Hominis haut magnopere intereſſe ejusmodi *Microcoſmum* dici *præc. §. 11.* jam monitum fuit. Ne dicamus in tam operoſo conatu Analogiam quandā conquirendi, in ſigni tamen eam parte deficerè; Cum enim Partes Similares Majores Corporis Humani Cutis, Caro, Oſſa Terræ ac Montibus tq-Oſſaturæ Mundi haut difficulter asſimilari posſint, nullam tamen ejusmodi Majorem partem in eo videre eſt, quæ *Mari Magno* reſpondeat: Nam Veſicam ſiquis alleget, is non partium Corporis, ſed excrementorum ejus receptaculum oſtendet; Et Sanguinem ac Lympham Aquæ inſtar ipſi eſſe & per Venas, Arterias, Ductus Lymphaticos diſtribui facile quidem

dem concedi posset ; Sed Ventriculi Cordis nimis exigui sunt, quibuscum Mare comparetur, cum id si non dimidiam, certe Tertiam Partem Geocosmi constituat: Nisi quis *Mare Magnum* Minoritarum in subsidium vocare voluerit, quorum Privilegia ita dici apud *Choppin.* legimus *de Sacr. Polit. L. 11. f. 346.* quibusve solis proinde Gloria *Microcosmi* relicta esset. Non minor difficultas in *Microcosmo Invisibili, Interno*, S. Scripturæ prorsus ignoto, quæ de *Interno Homine* quidem loquitur, *delectato Lege DEI Rom. VII. 22. Corroborato Spiritu DEI Eph. III. 16.* Sed qualem Fluddus describit plane nescit. *Duos Microcosmos* in Homine jactare est *Microcosmum in Microcosmo* fingere; Et cur non hujus iterum *Microcosmum*, Matricem nempe tenellulam in Matrice adhuc latentem produnt? Hominem Microcosmum *Cute sua* à Mundo, & hunc *Testa* ab aliis ita dictis Mundis discerni prope ridiculum est. Mundum & Hominem in Identitatem & Ταυτότητα compingi, absurdum plane; Quis n. unquam tot Stellas, Animalia, Plantas, Lapides in uno Homine vel eminus ostendit? Et si Cœlum ac Terra quovis Bolo continentur, jam quotidie Cœlum & Terra toties totiesq; devorarentur, quod absurdissimum. Breviter, Cuncta insolitis & ambiguis loquendi modis turgent, quod intellectui satisfaciat, aut Sanæ rationi conforme sit, nihil apparet. Siquis similitudinem qualemcunque causetur, ei non prorsus adversabimur ; Sed Similia non probant, sed illustrant, ast hæc ne illustrant quidem, sed quæ dicenda sunt insolitis vocabulis obscurant & mixtis figmentis rerum nuspiam existentium confundunt. A proprietate verborum non est discedendum, nec Entia multiplicanda sunt sine necessitate. Simus simplicioribus S. Scripturæ Verbis contenti, quæ Hominem nec Microcosmum, nec Animal vocat, nec plures Mundos novit, sed uno contenta, primoque statim Versu primi Libri sui eum indicat: *In Principio Deus creavit Cœlum & Terram.*

V.

In quo igitur, inquies, sita Magnitudo Humana secundum Doctrinam Ecclesiæ, pergit Gregorius: Ἐν τίνι καθ᾽ τὸν Ἐκκλησιαστι-

κὸν λόγον τὸ ἀνθρώπινον μέγεθος. Ecclesiasticam Doctrinam vocat, quam Scripturæ Doctrinam dicere potuisset; Sed Ecclesia est Columna veritatis, non quidem *Architectonica*, qua nitatur Doctrina Sacra, *sed Politica*, cui placita Divina affiguntur, seu ex qva publicantur, adeoque Doctrinam Ecclesiæ dum dicit, Doctrinam S. Scripturæ simul indigitat, respondetque situm esse, non in ea quæ in Similitudine hujus Mundi creati consistit, οὐκ ἐν τῇ πρὸς τὸν κτίσαντα κόσμον ὁμοιότητι, *sed quod secundum Imaginem Creatoris facta sit*, ἀλλ' ἐν τῷ κατ' εἰκόνα γενέσθαι τῆς τοῦ κτίσαντος φύσεως. Ac porro *Or. I. in Verba Faciamus Hominem f. 146.* Ubi postquam prolixe de Imperio Hominis disseruerat: *Quid igitur est Homo*, quærit; Et mox: *Ex iis, quæ de ipso cognovimus & audivimus, eum definiamus*: Rejectisque vulgi Definitionibus; Neque n. *jam opus est, inquit, ut alienas Definitiones*, ὅρους ἀλλοτρίους, mutuemus, neque eas ab externa Vanitate sumptas Orationi Veritatis, λογισμῷ τῆς ἀληθείας inseramus. ὅρους ἀλλοτρίους quos vocat, sunt Definitiones ex Philosophia Ethnica, extra Ecclesiam positæ adeoque a vero alienæ, sicut Dii alieni vocantur, qui veri Dii non sunt. Et quid tandem ille λογισμὸς ἀληθείας Hominem esse dictitat? Responsio parata est: *Homo est Opus DEI ratione præditum ad ejus, a quo creatum est, Imaginem factum:* Ἄνθρωπος ἐστὶ ποίημα θεοῦ λογικὸν, κατ' εἰκόνα γενόμενον τοῦ κτίσαντος: Verba sunt, quæ, postquam expositum fuerat, quid Homo non esset, ut constaret etiam quid esset, subjicienda fuere; Neque enim unquam satisfacit quærenti, qui quid res non sit exponit, nisi etiam quid sit adjiciat.

VI.

Hæc ut paucis adhuc declaremus, ex Philosophia Rationali notamus, uniuscujusque rei naturam describi indicato ejus Genere ac Differentia, seu in quo cum aliis similitudinem Naturæ habeat, & quo ab iisdem differat; Et Genus vulgo quidem in Logicis vocari videmus, *quod de pluribus specie differentibus prædicatur in Quid*, sed clarius dicetur consistere in Communione seu Similitudine Naturæ cum aliis, adeo ut *prædicari de pluribus in Quid sit* plura cum Re proposita Similitudinem

nem ſeu Communionem Naturæ habere; Ecque quando de Hominis Natura agitur, pariter de Genere ejus quæritur, quam ille cum aliis Similitudinem Naturæ habeat, ſeu quæ illa ſint, quibus cum Comunem Naturam posſideat: Cumq; DEUS ſtatim in Conſilio Hominem creandi profeſſus ſit, ſe in Similitudinem Naturæ ſuæ ipſum recepturum: *Faciamus Hominem ad Imaginem & Similitudinem noſtram*, ſi de alia Similitudine ſoliciti eſſemus, id temere nec ſine contemptu Creatoris fieret, eoq; ſpretis omnibus Comentis Humanis in veritate Effati Divini merito acquieſcimus, utpote Excellentiæ ac Dignitati Humanæ convenientisſima, ac Gregoriū proinde recte Hominem *Opus DEI ratione præditum & ad Imaginem ejus factum* vocaſſe dicimus. Inſt. *Hujusmodi ſimilitudinem Naturæ quoq; Homini cum Animalibus mutis intercedere, cum æque ac Homo vivant & ſentiant.* R. Eſſe tantum Similitudinem Corporis Humani, non Hominis, cujus Corpus pars quidem eſt, ſed inferior, & hoc ſenſu Inſtrumentum Animæ tq. potiori inſerviens. *Quid ſumus Homines, niſi Animæ Corporibus clauſæ*, inquit *Arnobius c. G. L. II.* Et confidentius *Gregorius Nyſſenus* noſter *cit Or. 1. f. 143. Ego ſum ille, qui intus eſt Homo, quæ vero ſunt extrinſecus, non ego illa ſum, ſed illa ſunt mea: neque n. ego ſum Manus, ſed ratio quæ in Anima eſt, τὸ λογικὸν τῆς ψυχῆς, Manus autem Exterioris Hominis eſt pars: Quamobrem Corpus Hominis Inſtrumentum, eſt Animi Inſtrumentum, ſiquidem Homo proprie Animo cenſetur; Ἄνθρωπος δὲ κυρίως καθ' αὐτὴν τὴν ψυχήν. Faciamus Hominem ad Imaginem noſtram, h. Rationis illi præſtantiam tribuamus, δώσομεν αὐτῷ λόγου περιουσίαν. Et præſit: Non inquit, faciamus Hominem ad Imaginem Noſtram, & irascatur, concupiſcat, mœreat; Perturbationes enim non cadunt in Imaginem DEI, ſed Ratio Perturbationum Moderatrix, ac Domina, ὁ λογισμὸς τῶν παθῶν δεσπότης.*

VII.

Jamque quid *Imago Divina* ſit iisdem verbis Gregorius expoſuit: *Faciamus Hominem ad Imaginem noſtram, h. tribuamus ei λόγου περιουσίαν: Rationis præſtantiam* reddidit Interpres, at *περιουσίαν* Græci etiam vocant, quæ pro maxime propriis

ac gratis facultatibus habemus. *Stephan. Lex. ad V.* περιουσία. Rationem itaque dicit Imaginem Divinam Homini maxime propriam adeoque Essentialem esse, ab omnibus affectibus Corporis liberam: In quo cum consentiant Veteres pariter ac recentiores Theologi, prolixo ad id excursu haut opus esse autumamus. Sed paucis tantum tangendum, *quid sit illa Ratio, seu,* ut alias dicitur, *Vis Intelligendi,* eamq; ex aliis Doctrinis nostris dicemus consistere *in Facultate aliquid in natura sua cognoscendi,* h. Quare, Quatenus, Quemadmodum, ut Seneca loquitur & solis Rationalibus datum esse ait *Ep. XCIV.* Quomodo & Deus sincerum sui Cultorem se ad usum ejus vocaturum promittit *Ps. XXXII. 10. Intellectum Tibi dabo & instruam Te in Via hac, qua gradieris,* h. rerum agendarum cognitione imbuam; Et à Brutis separat. *v. 11. Nolite fieri sicut Equus & Mulus, quibus non est Intellectus,* h. facultas cognoscendi, quod natura rei agendæ exigit: Quæ cum alibi etiam satis exposita sint, hic pluribus non prosequemur. At Deus, quia est Ens summe Intellectuale, omnia perfectissime ad intima Cordis usq; cognoscit, perfectissime quoque justissime ac sanctissime, prout natura uniuscujusque rei exigit, omnia vult & agit; Atque adeo Homo quoque in prima Creatione Imagine Divina seu Ratione donatus perfecta rem unamquamque cognoscendi & secundum naturam ejus agere volendi facultate, eoque perfecta Sapientia, Justitia & Sanctitate secundum Intellectus Humani modum instructus fuisse, iisque per lapsum amissis per Redemptionem Christi, & Regenerationem per ejus Spiritum factam ad eandem denuo creatus seu instauratus esse dicitur. *Induite Novum Hominem, qui renovatur in Agnitionem Dei secundum Imaginem ejus, qui creavit eum.* Col. III, 10. *Qui secundum Deum creatus est in Justitia & Sanctitate Veritatis.* Ephes. IV, 24. Unde & Corpora Fidelium *Templa Spiritus S.* vocantur. 1. Cor. VI, 19. Synecdoche Partis pro Toto, quia Spiritus S. Imaginem Dei in iis reparat, eosque ad Cognitionem Dei reducit & in eadem conservat. *Deus Domini nostri Jesu Christi, Pater Gloriæ det Vobis* Spiritum Sapientiæ & revelationis

in

in agnitionem ejus, illuminatos *Oculos Cordis Vestri, ut sciatis, quæ sit spes vocationis ejus, & quæ divitiæ gloriæ hereditatis ejus in Sanctis.* Eph. *1.* 17. 18. Eoque in iis habitare dicitur, *Bonum Depositum custodi per Spiritum S. qui habitat in Nobis.* II. Tim. I. 14. Plura V. ap. Ames. *Sciagr. Catech. ad Dom. 20. f. 111. & seqq. An corpus etiam hac Imagine gaudeat,* quæri solet. ℟. Per se & quoad substantiam ejus, & quatenus constat figura tali, quali præditum esse videmus, nemo id facile dicet. Quia tamen totus Homo ad Imaginem Dei creatus esse dicitur, & Corpus nusquam in S. Scriptura ab ea exclusum legitur, eadem quoque gaudere censetur. 1. Quatenus Organis ad vires Animæ exercendas idoneis & accommodatis præditum est, cujusmodi nullum Animal habet, nulla quoque manentibus iisdem membris Ratio induci posset, quia nulla apta futura essent, per quæ Anima functiones suas exerceret. 2. Effectis Imaginis Divinæ quoque participat, qualia in hac Vita Imperium in Res creatas, in altera Immortalitas: Quod pluribus expolitum *a Zanchio de Creat. Hom. L. III. c. 1.*

IIX.

Sed hisce non contenti Philosophiæ Ethnicæ Sectatores, & qui his similes postea exorti sunt, soli Homini hanc prærogativam haut reliquere: Qui si de *Angelis* intelligi vellent, nemo ipsis litem moveret, cum Filii Dei dicantur Hiob. I. 6. ab ipso Christo Sancti prædicentur & Socii ejus futuri in Extremo Judicio. *Luc. IX. 26.* Semper vident faciem Patris, qui in Cœlis est, *Matth. XIIX. 10.* Gaudent super Peccatore pœnitente *Luc. XV. 10.* Quæ Notæ apertæ sunt Imaginis Divinæ in illis hærentis. Christus quoque non quidem ad Imaginem Dei factus, attamen *Imago Dei Invisibilis Colos. I. 15.* Figura Substantiæ ejus dicitur. Hebr. I. 3. Ast illi *Mundum quoq; ad Imaginem Dei* conditum esse ex *Trismegisto* jactant: *Deum nempe duas Imagines ad suum exemplar finxisse, Mundum & Hominem;* Ac rursus: *Mundum esse Dei Imaginem, Hominem vero Mundi* apud *Fludd. dum cit. P. II. f. 66. 67.* Quem ideo *& Primum Animal, Secundum ab illo Hominem* vocant. Quin & Mundum *Magnum Hominem* esse volunt. *Si Homo est Parvus Mundus, utique Mundus est*

Ma-

Magnus Homo, inquit *Picus Mirandul. Heptapli L. VII. fin. f. 61.* Ipsumque Mosen *Magnum Hominem* vocare putat. Darin kommen alle Gelehrten sonderlich überein/ daß Sie die Welt nenen Μεγάνθρωπον, den grossen Menschen/ scribit nimis credule *Franc. Simon. in Microcosm. Didactico C. II. f. 422.* Etiam *Patrem Hominis*, huncque rursus *Mundi Filium*, Κόσμου ἔκγονον, ut Mercur. Trismeg. loquitur. Cuncta Humani Cerebri somnia a S. Scriptura alienissima; Si n. Mundus *Dei Imaginem* habet, quæ quæso indicia Intellectus & Voluntatis edit? Quæ ejus Sanctitas, Justitia, Sapientia? Si est *Magnus Homo*, ubi ejus Membra Organica, eaque Animæ Rationali attemperata? Ubi Caput, Brachia, Crura? Et cur non etiam Magnus Culex, Magnus Bos dicetur, ac fortassis ille, quem vulgus Judæorum fabulatur in Die Extremi Judicii mactatum iri. Si Mundus Pater est ac Homo ejus Filius, jam quæ dicuntur de Homine, æque de Mundo ut Parente dici possunt. Ergo Mundus etiam equitat, navigat, secat, pingit, aliave agit & patitur, quæ Homini alias conveniunt. Quo argumento B. Parens meus in hac materia utitur *Exercitat. Theol. XXV. f. 518.* Et vero *Mundum* saltim *Animatum* cum Platone aliisq; Gentilibus Philosophis fatebimur. R. Ne hoc quidem, vel aliam Animam & Spiritum Mundi nos agnoscere, quam vim, potentiam ac virtutem primitus cuique rei a DEO inditam, cunctorumque inter se Ordinem & Convenientiam, qualem prædicat S. Scriptura *Ps. LXXIV. v. 15. 16. 17.* & inprimis *Ps. CIV. toto.* Mundus est Ens Complexum universarum Rerum Animatarum & Inanimatarum, neque magis Animam habet, quam Navis merces simul ac Homines vehens, quæ justo ordine quidem compacta, sed ideo animata non est. Qui altius evolant vix seipsos intelligunt, nec argumenta eorum aliquod robur habent, quod pluribus ostensum *à Calovio System. Theol. T. III. Art. V. Q. 6.* & B. Parente meo *cit. Exerc. XXV. f. 520. ad 529.*

IX.

Superest, ut Porismata, quædam ex Gregorii nostri Doctrinis, quibus Dignitatem Hominis prolixe astruxit, eaque

eaque in pauca tantum Verba ac veluti conſpectum univerſarum contrahenda ſubjiciamus: Ac I. quidem. *Quod in Te admirandum eſt*, inquit, *Homo ne contemſeris*: Parvus quidem es, ut opinaris, ſed magnum Te Creatio præſens deprehendet &c. *Or. 1, in Verba Fac. Hom. f. 140*, 2. Et de Corpore quidem: *Cogita quemadmodum formatus ſis: Naturæ tuæ Artificium conſidera: Dei manus eſt illa, quæ Te formavit; Lauda Effectorem Tuum* Or. 11. f. 155. 3. *Quando effigiem aliquam cernis diligenter elaboratam & exemplar optime referentem, non ipſam laudas, ſed Pictorem admiraris: Quapropter ut* mea non alterius eſſet admiratio, reliquit mihi, ut ad ejus Similitudinem fierem. *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*: Vides quomodo nobis Dominus illud ad Similitudinem reddat: *Quoniam Solem ſuum oriri facit ſuper malos & bonos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos, Si oderis ſcelera, ſi injuriarum memoriam deleveris, ſi heſternas ſimultates, & inimicitias oblivione voluntaria depoſueris, ſi fratrem amore, benevolentia, benignitate, miſericordia complexus fueris*, DEO ſimilis evades. *Habeas igitur* Imaginem ex eo, quod rationis es compos, Similitudinem autem, quia virtutem, probitatem & bonitatem *amplecteris. Or. 1. f. 150.* 4. Eamque proinde illuſtrem in illis conſpici, *qui vitam ſuam ad Virtutis normam accurate exegerunt*: Sicque Moſen, aliosque Moſi ſimiles formam Divinæ Imaginis puram conſervaſſe. *De Opif. Hom c. XIIX. f. 94.* 5. E contrario ſiquis eo mentis facultatem pertrahat, ut *Rationem ſervire morbis Animi* cogat, univerſam Naturam *in aliam quaſi figuram* redigi, *& eximiæ formæ in Imaginem Brutam fieri* commutationem, *eod. c. XIIX. f. 93.* Evertique Homini per Imaginem Divinam conceſſum Imperium. *Ad imperandum natus es*: Quid ergo perturbationibus ſervis? *Cur Dignitatem Tuam abjicis*? Cur Te peccato dedis in Servitutem? Cur Te conſtituis mancipium Diaboli? Rerum conſtitutus es Princeps, *cur Naturæ Tuæ gravitatem projeciſti*? Or. 1, f. 144.

X.

Hæc de famoſa illa & tot elogiis decantata materia, in qua ſi ultra S. Scripturam ſapere noluimus, nemini id diſ-

pliciturum confidimus. Nec tamen impedimus, quo minus quis ea utatur, nam si Hominem Vermem, Glebam Terræ, Bullam Aquæ vocare licet, quid ni etiam *Microcosmum*? Quin potius Ecstasin bene sentiendi de Homine dicemus; Sed *exoterico ac vulgari*, non *exquisito & acroamatico* loquendi genere nec majori in loco habendã, quam Similia quævis alia, quæ externa quidẽ specie se commendant & intellectũ demulcent, sed non satiant; Qui e contrario, audito Imaginem Divinam de Homine vere, non per Metaphoras prædicari, idque quod maxime Hominis interest continere, terrenis omnibus ipsum non adæquare, sed imponere, eoque totam mensuram Dignitatis Humanæ implere, nec altius iri posse, sponte acquiescit, missisque Comparativis Elogiis omnibus uno complexu acceptat, quod hactenus traditum fuit, & Senecam in crepera illa luce Cognitionis suæ Divinæ etiam sensisse legimus *Ep. CXXIV.*

In quo & ipsi desinimus *Nullo modo Tibi prodesse possum magis, quam si Tibi Bonum Tuum ostendo, si a mutis Animalibus separo, si cum DEO pono.*